

Praefatio.

In Dionysii Halicarnassensis librorum rhetoricorum fontes ut inquirerem, auctor mihi fuit Guilelmus Christ, magister optimus et certissimus dux; artioribus autem finibus quaestionem circumscribere meo permisit arbitrio.

Gradus progressusque artis oratoriae, quam inde ab Gorgiae temporibus in summo apud Graecos honore fuisse constat, cognoscere et describere res est ut quaestione dignissima ita multis magnisque difficultatibus impeditissima.

Ante Aristotelem quidem quantum rhetores in arte profecerint, illustravit L. Spengelius, vir doctissimus acutissimusque, eo libro qui συναγωγή τεχνῶν inscribitur; Aristotelis ipsius exstat ars, monumentum aere perennius; artis scriptorum autem qui sequuntur usque ad Augusti tempora unius habemus Dionysii Halicarnassensis pleniora praecepta, ut huius doctrina explanata fontibusque detectis illi quoque subobscurae aetati aliquantum lucis afferatur.

Dionysii libros rhetoricos ut in duo genera eaque inter se cognata dividi posse putamus, praecepta artis oratoriae et de veteribus scriptoribus iudicia, ita de fontibus quoque quaestionem in duas divisimus partes, quarum alteram quae est de praeceptis oratoriis priore loco illustrabimus, alteram quae est de iudiciis posteriore loco adumbratam subiciemus.

